

alia, sed aliter revertentur: imò demonstrat aliud esse demutatio-  
nem, aliud perditionem; per illam non naturam sed conditionem  
reformandam. Postremò Christianorum & Ethnicorum eandem  
esse resurrectionem docens tradit, vitâ à necessitatibus jam liberatâ,  
membra quoq; liberatum iri, sed tamen necessaria futura. In sum-  
mâ, colligit carnem resurrecturam & omnem, & ipsam, & inte-  
gram. *Ceterum in editione Francisci Junii Biturigis & in Academiâ  
Leidensi Professoris, quam ex Jacobi Pamelii editione concinnavit, pro-  
lixius, sed & distinctius habetur argumentum ad singula capita, quo-  
rum LXIII. numerantur, curiosè accommodatum, quod nolo heic, nisi ex  
occasione, transcribere atq; adnotare: Nec suspicor quidem vitio mibi  
versum iri, si quedam ex ipso huc adduxero Tertulliano, meoque inse-  
ruero contextui, quam notissimum sit augustissimum Parrum Aurel. Au-  
gustinum ipsa etiam Bb. Cypriani & Ambrosii verba suis Commen-  
tariis inseruisse, uti inter alia docent libb. de Doctrinâ Christ. Si hec  
Præceptor, quid ego minimus ipsius discipulus?*

*Aureoplane apophthegmate librū Tertullianus orditur, fiducia Chri-  
stianorum, resurrectio mortuorum, quo certè breviter & nervosè  
complecti voluit ea omnia, quæ Paullus noster habet in decimo & quin-  
to sua ad Corinthios prioris capite, versiculis à tertio decimo usq; ad vi-  
cesimum. Simul etiam acutè refellit vulgus Gentilium, quod impen-  
fissimo esculentorum officio defunctis parentent, quos tamen su-  
peresse post mortem negent, & sic existiment desiderare, quos ne-  
gent sentire, quosq; priùs atrocissimè exusserint, postmodum gu-  
lofissimè nutrire soleant. Tantam autem esse tamq; necessariam Re-  
surrectionis veritatem, ut confirmata eā unio Divinitatis constabili-  
atur, quemadmodum negatâ concutitur (a). Ad illud verò heretico-  
rum effugium, quod Ethnici negant resurrectionem mortuorum, graviter  
hoc reponit, (c) Dum Christianus tibi videris, alias ab Ethnico es,  
redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur: Quid cœco du-  
ci inniteris, si vides? quid vestiris à nudo, si Christum induisti? quid  
alieno uteoris clypeo si ab Apostolo armatus es? ille (*Ethnicus*) potius  
à te discat carnis resurrectionem confiteri, quām tu ab illo diffiteri.*

*Quod*

(a) Ter-  
tull. c. 2.  
(c) cap. 3.